

IMPERATOR CÆSAR
 FRIDERICVS III.
 PVLCHER,
 PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
 REX GERMANIÆ
 ARCHIDVX AVSTRIÆ,
 DVX STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SVEVIÆ,
 LAND. ALS. COM. HAVSP. ET TYR. &c.



OC florido vultus honore, gentilitiâ Austria-
 dum Reginarum dote, inter serenissimos au-
 gustæ purpuræ splendores cum maiestate ver-
 nabat FRIDERICVS tuus potentissima
 Hispaniarum REGINA, & omnium non
 feminarum tantum, sed Heroïdum flos. Hinc
 eius victoriosissimo nomini inter paternos
 triumphos nato, veluti laureæ superimposi-
 tum florem coronamentum à formæ digni-
 tate, per summum decus, pulchri cognomen-
 tum, accessit. Hac heroicâ supra homines au-
 gustiori formâ spectabilem fuisse ferunt magnum Macedonem, hac pri-
 mum Romani Imperij Augustum, hac mitratum Persarum Monarcham
 Cyrum, hac ipsum magnum RVDOLPHVM Genearcham tuum, aucto-
 rem regij nominis in Hauspurgicâ tuâ profapiâ, omnesq; ferè hæredita-
 rio iure Austrios Principes, vt iam videatur istud admirabilis formæ pa-
 trimonium in censu Aultriacæ gentis numerari, ex hoc splendore vultus,
 populis vmbra quandam diuinitatis inibi non vulgariter, sed basilicè
 habitantis, venerantibus. Ita falsum est inimica esse nomina, nec in vno
 folio regnare maiestatem, & amorem. Non hæc tamen forma imperio
 digna diadema imposuit, quod alioquin, & augusta nomina ALBERTI
 triumphatoris parentis, ac RVDOLPHI magni Aui exigebant, & ipsius
 FRIDERICI virtutum omnium pretiosis calculis debebatur.

Primus ad imperium gradus fuit obsequium Imperatoris, quod in suo
 Cæsarium optimo magnificè consularis panegyrista laudauit. Post paca-
 tam

Pl. in Tr.

ram Austriam, quam aliquorum Procerum tumultuantiâ studia turbant, Henrico Septimo è Comite Lucemburgico Romanorum Regi, & Cæsari, in Italiam venienti, vt Rex Italiæ, & Augustus rite salutaretur, Ductor equitum, quos e suo milite legerat, adhæsit. In Italia partibus gibellinis, quas gratia Cæsaris fouebat, impensè fauit, Matthæo Magno Vicecomite, stirpe Principe Insubricorum Ducum cum ingenti ciuium Mediolanensium, ac ferè totius Italiæ lētitiâ, post impletâ vtriusq; fortunæ paginam, ab exilio Austriaci operâ reuocato. Austriæ redditus ad paternas vindicias conuersus, multæ tatis vicarijs sceleris, Ioannem patrualem antesignanum, qui pugnantia nomina iungens hostis, & fratris filij, gemino parricidio Cæsarem cedens, & Patris fratrem, & Patriæ Patrem, consanguineas manus cruentarat, ad salutarem pœnam adegit. Vitam indulgens, ne reus esset Austriaci Sanguinis, quem vlcisceretur, iussit sub cucullo Monachum luere, quidquid sub galeâ peccarat miles. Ita Ioanne parricidâ sacre militiæ nomen dante, vnicum Austriaci generis conuicium consecratum est, & inuisum cælo scelus expiatum in cellâ. Spoliatus etiam bonis, quorum amore peccarat Ioannes documento fuit omnem impietatem Perilli ignitum taurum esse, & auctorem tandem torquere, sepiusq; ipsum sceleris irritamentum migrare in carnificem pœnam. Henrico Cæsare è viuis exempto in Boiariam mouens tum Salsburgico Principe, belli socio, Riethum arcem munitissimam ad ditionem compulit, Ludouico interim Bauaro cum nostro Austriaco de imperio apertâ emulatione certante. Vtriq; laureato, ac triumphali paribus quasi Procerum votis, ac populorum studijs videbatur Germania imperium occidentis deferre.

1313.

Itum est à Septemuiris Principibus in suffragia, post annum interregnum, sed illis in diuersa abeuntibus, in duos Imperatores FRIDERICVM, & Ludouicum dissectum non sine lethali vulnere imperium, ferè concidit. Monarchiæ diuinitati proximè, eiusq; vicariè in terris, etiam illi simillimè sunt, eo nomine, quod nullam patiantur diuisionem. Qui diuidit, videtur geminare, sed destruit. Monstrum semper iure dicas, omne vnus corporis imperium, biceps. Respublica quoddam fortunarum publicarum nauigium est, integra natat, & velificatur: diuisa naufragium facit, omni rimulâ aperiente naufragio capacem locum. Ipsa terra supra magnum nihil, & inane librata, æternam suam firmitatem, qua nihil in rerum naturâ constantius, vni principi centro debet. Diuiso veluti cæli imperio gemini solis parelia turbines seditiosos, & ventorum tumultuantium ciuilia bella portendunt. Ita prorsus accidit: hæc factio Austriaca & Banarica totum ferè Septemtrionem distrahit, dubio quasi imperio æqua lance, se se in vtrumq; librantè. Vterq; magnis contentionibus grafatus ad Cæsaris nomen, suos inauguratores, & adoratores inuenit, Austriacus Colonensem, Rudolphum Boioariæ Ducem obligatæ fidei sanctitatem fraternæ beneuolentiæ summâ constantiæ laude præferentem, Henricum Carinthium, & alterum Rudolphum e Saxonum Ducum gente, Bauarus vero Petrum Moguntinum, Balduinum Treurensem, Ioannem Saxonem, V Valde marum Brandeburgicum, & Ioanem Bohemiæ Regem.

Cri-

1314. 18.
Ost.

*Diuisio
suffragijs
Cæsar cum
Ludouico
Bauaro
venantia-
tur.*

Criminabantur tamen austriacarum partium homines Ludovicum ex eo, quòd Brandeburgensis Electoris procurator violasset sui Principis mandata, & adultera manu Ludovicum pro FRIDERICO supposuisset. Vnde Bauari causa valentior, sed melior videbatur Austriaci; cum præsertim Summi Pontificis Ioannis XXII., quem missis HENRICO fratre Ductore in Italiã copijs, aduersus Gibellinorum impetus propugnarat, oraculo potius dixerim è Vaticanã cortinã, quam suffragio niteretur. Germania, Imperij fato eam, bellorum ferè semper vel matrem, vel altricem inuadente, primùm in studia partium, mox in apertum bellum, multis prælijs odia efferantibus, erupit, & quod mirum fuit non ad Orientem, & Occidentem, vt olim apud pleròsq; Cæsares diuiso imperio, sed ad Boream, & Austrum boreales vrbes, & prouinciã Rhenanã inferiores Bauaro, Australis, & Superiores Austriaco parebant.

Vbiq; bellicum canitur, classicum concrepat, ad arma concurritur, veluti ad nouam pharsaliam. At Cæsar contra Cæsarem stat, vtrinque iisdem Aquilis fulmina ministrantibus, nec in Æmathijs campis, sed germanis romani orbis alea versatur. Primo prælio ad Eslingam, Suetinã oppidum, ancipiti Marte pugnatum est; Steteruntq; inde exercitus acsi Cyclades futuræ immobiles postpugnã, concurrassent; ita neuter alteri fractus procubuit, aut locum cessit. Iterum prope Argentoratam Austriaci, & Bauari castrametantur, educitque Austriacus Imperator militem cum tanto Boici terrore, vt prima tentamenta, & leuioris armaturæ equitum robur sentiens, antequam creperus præco belli clangor personaret, receptui cani iusserit, & desperatã spe victoriæ Haganõam se receperit. Nulla est maior victoria, quàm quæ confessum vinci, vincit, animo ipso victo parte exercitus nobiliore. Auctus deniq; AVSTRIACVS Magnis Caroli Húngariæ Regis auxilijs in hostico solo sedè belli figens, ferro iudice de magna imperij lite, & causã romani orbis decreturus, Boium inuadit, subsidijs Bohemicis, armis, & milite instructissimum, inter Muldorffium, & Donspergam occurrentem. Castra castris conferuntur: hastata segete horrescunt campi, curuantur in cornua lunatã equitum turmæ, densantur in vnum pleno gradu lenta prælia ferentes quadratã peditum phalanges, cuneatis cohortibus veluti brachijs magni corporis hinc inde Manipulatum productis: discurrunt leues ante signa velites: cataphracti, primipili, triarij à latere, à fronte, à tergo primos impetus excepturi instar armati, mobilisque valli, agmen circumsepiunt: classicum strepit, vexilla explicantur, tonant fulminales machinæ maiores, minoresq; nec sterile tonitru est, nec ignauum fulmen, ipso fumo diem cælo eripiente. Miles militi primum centuriatim, inde viritim conferitur, gladiatoria potius constantiã, quam militari: ardentissime publica causa agitur, feritæ casim, punctimque, eminus, cominus, strage duodecim horarum spatio longè, latèq; editã, & Marte vnus diei tragædiam exhibente soli principi planeta, ex vtroque regali, ac purpurato Orientis, atq; Occidentis podio spectatori. Adhuc diadema germanici regni paterno sanguine stillabat, nec iratam fortunam pacauerat ALBERTI Cæsaris Lacrymabilis Cædes, & quod summum malorum videri poterat truncatum consanguineã

Prælia inter Cæsares Austriacum, & Bauarum.

1322.
Duodecim horarum pugna de imperio decernitur.

manu, coronatum orbis caput. Initia pugnae laeta fuere aridente fortuna, quae fidei alioquin constantissimae FRIDERICI infidelis, victis victoribus spem fefellit, reciprocans, alternansque vices in aestu armorum tanquam in Euripo suo, cruore non aquis ebulliente. Armatus veluti nouus hostis coniuratione ventorum à fronte aciei in oculorum aciem puluis insurgens, & ominosis tenebris morti praeludens, primam occupauit victoriae laudem, & documento fuit, non solum armatum plumbo, & ferro incendiarium sulphureum puluerem, tormentisque excruciatum, & igni damnatum, sed ipsum etiam pacatum camporum puluisculum, si Caelo collubitum sit, exercitus prostrernere. Ipsi quoque vndarum exercitus victores, totusque Oceanus triumphator litoralis pulueris obiectu subsidunt, ac debellantur. Inclinarunt ad Bauarum, omnia tandem momenta victoriae, Equites Bohemi sinuato flexu, à tergo Austriacum militem circumuenientes, habitique pro auxiliarijs, qui à LEOPOLDO Austrio fratre expectabantur.

Puluisculus in oculos Austriacorum incurrens magnum Bauarum victoriae momentum.

Frid. in potestate Bauarum venit.

FRIDERICVS post omnia boni militis, & Imperatoris officia cum HENRICO fratre, alijsque proceribus in potestatem Ludouici venit, adhuc aspersus castrensi puluere, & sanguine praeliari, plenus nobilium irarum, quasi non in hostium manus dederetur, sed illos ad pugnam prouocaret. Luit animosae confidentiae poenas, quod non expectatis ingentibus auxilijs è Sueuiâ, & Rhætiâ, quae non longe aberant Ductore LEOPOLDO, impar viribus, nimis audacter belli totius aleam iecisset. Magna victoria, quae inter manubias praefert etiam manus catenati Regis, & indignam illius pompam magnifice trahit. Ingens fatum, res Austriacas versauit, sed Austriaca constantia, quae Magna egerat fortiter patiens mirum in modum enitiuit; nam in triennali custodia detentus Princeps Reginae libertatis, & augustae, adhuc victore animo liber, sublimisq; veluti in Olympo supra fulminatricis fortunae tonantes minas, vertice astris, nimirum caelestium rerum ardentibus votis coronato, calcatis sub pedibus nimbis in sudo regnabat. Nihil iuris erat in hoste in hanc partem FRIDERICI meliorem.

Sen.

*Qui metuit nihil
Rex est, quique cupit nihil:
Hoc regnum sibi quisque dat.*

Illud enim imperium demum maximum est, Regem esse sui. Eo vultu intrat carcerem, quo triumphatores Capitolium. Quidquid virtus intrat, condecorat: cum per latebras trahitur, veluti Anguis exit nitidior, si tamen vlla latebra illam condit, quae de more caeli nemini celatur, ac nubis intar cum eliditur, fulgurat. Ipsa sceptræ, Coronæ, ac throni pretiosae quaedam seruitutes sunt, manibus, capiti, toti regio corpori iniectæ: torques, ac diademata, catenæ, ac vincula, sed illæ aureæ, & ista serica, pretio, quia etiam ipsum tenet, & ligat, non liberante, sed geminante regium mancipium. Didicit FRIDERICVS a pilâ aureâ, quam gestant coronariam in capite non ludere saepius Cæsares, quam ludi, & ferio archetypæ illius prouidentiae manu, quae ludit in orbe terrarum. Ira obnubilata est in Austriaco Imperatore non sublata publica imperij sere-

serenitas, neq; vllus n̄uus fortunæ pulchri nostri, quia etiam fortis, faciē maculauit. Cōprobauit hoc, supremi Romani Antistitis aduersus Ludouicum inde propterea anathemate percussum pontificium patrociniū, Austriacis Principibus vbique debitum, apud quos semper sacrosanctum fuit Religionis Orthodoxæ nomen, & erga Dei solium in terris incredibilis reuerentia. Sed ius, & vis nullo literarum discrimine notantur, & quod deterius est, sæpe vnum pro altero regnat.

Non tulit tamen diu fraternæ iniuriæ dedecus LEOPOLDVS à bellicâ laude cognomento bellicosus, & militum auratorum, siue equitum gloriâ eâdem gloriâ succenturiante militem, ordinesque mouente, vlturus ignominiosâ illius seruitutis publicum probrum. Nihil ferocius gloriâ vindice iniuriarum. Quid cum probosâ sunt, quid cum iniustâ, quid cum illatâ Principi, & fratri? Ingenti belli apparatu exterritus Bauarus honestis conditionibus Austriacum liberauit, vt nimirum pari potestate, & æquo iure diuiso imperio FRIDERICVS, & Ludouicus singulari exemplo, ex rivalibus coronæ æmuli, & hostes, & ex hostibus Collegæ, amicumque regnarent. Huius facti testes, quidquid obganniant aliqui chronographi, adhuc extant Monachiensis, & Vlmenses tabulæ, cum imperiali diplomate, fidei datâ obsides, & immortalis toti æuo magistræ veritatis. Additum est fœderis sacramento cognationis vinculum, ne abrumperetur, OTTONI Austrio, cognomento Iocoso, nupta Elisabethâ Stephani Baioariæ Ducis filiâ, & Ludouici Cæsaris Fratris Filia, qui alioquin etiam ex Austriacâ Matre nimirum MITHILDE RV-DOLPHI magni filiâ, natus erat.

Reliquos vitæ annos FRIDERICVS vtriusque fortitudinis laude periculorum, & infortuniorum victor publico bono pacatè impendit, labentis Religionis acerimus vindex, dignus non germanâ tantum lauro, sed cœlesti, donec ab arce Guthenthheim, vbi tunc morabatur, translatus est ad suâ fortitudinis Capitolium, & illud regnum adiit, in quo omnes sine populo incolæ Reges sunt, & sine æmulo imperant. Omitti hic nō potest sine piaculo editum à LEOPOLDO fraternæ beneuolentiæ, ac veræ Philadelphicæ specimen, quod illa ætas cum admiratione suspexit, & consequenti æternitati fideliter commendauit. Toto triennio, quo captiuum FRIDERICVM Cæsarem Bauarus carcer detinuit, nullam vnquam ferunt LEOPOLDVM ne leuissimam quidem hilaritatis indicem notam edidisse, atrato, ac pullato cum luctuosâ quadam maiestate vultu; quasi boicæ seruitutis iugum lugubrius liberum, quàm captiuum AVSTRIACVM Heroem premeret. Amor Proteus omnes induit formas, & omnium partium hitrio semper fabulam aliquam nobilem agit. O frigida iam exempla decantata toties in græcis theatris Pylades, & Orestes, Damon, & Pythias! Tam Religiosum par fratrum, nec Argi spectauerunt, nec Athenæ. Austriaci Cœli sidera, si coniunxeris, siue illustri connubio, siue fraternali splendoribus, efficacissimâ, & beneficentissimâ luce felicissimè irradiant, ac terrarum fata moderantur.

Leopoldus bellicosus captiuum fratrem Cæsarem liberat.

1325.

FridERICI obitus.

1330.

Insigne in Leopoldo fraternæ beneuolentiæ specimen.

FRIDERICVS III. PVLCHER

Statua.

Nihil gratius exhibere possum orbi spectatori,
 Quam hanc Augustam pulchri Caesaris Statuam.
 Informem lapidem ubi phidiaca manus animauit:
 Infantem Ars memnonia, ut sic loqueretur, erudit.
 Hanc regiam, quam vides, corporis formam:
 Pro Regia sibi animus heros elegit.
 Olympi cor niueam istam marmoris venam nutrit:
 Oriundum è caelo, Austriaca innocentia candorem.
 Indidit tantum constantia saxeo pectori,
 Ut plumbea in illud fuerint omnia fortune tela,
 In hoc solum ferrea,
 Quòd ab ijs ictum siliceum pectus luculentius fulgurauit.
 FRIDERICUM quem non amare non potes, quia pulchrum:
 Admirare etiam, quia fortem.
 Imò quia pulchrius est fortem esse, quam pulchrum:
 Stupores omnes fortis, & amores trahet.
 Alijs virtutibus electrica vis est ad amoris illicium:
 Fortitudini etiam magnetica:
 Ille leues animas trahunt:
 Hac ferreas quoque.
 Cruciarum est Imperatorum corona:
 Nemo illam sine crucis amore optare potest.
 Aurea, omnium ponderum maximum addit
 Seruituti, qua frontem ligat.
 Orbi coniuncta, caput premet,
 Nisi Atlanteum inueniat.
 Cuspidata multifido vulnere lacerabit,
 Nisi inueniat Achilleum.
 Plures illam lachrymæ occidentes onerant,
 Quam

Quam ornare possint uniones lachrymæ Orientis,
 Magis gemendam, cum gemmatam magis,
 Et multo etiam magis, si gemmæ gementur.
 Ipse, qui lunam coronat, versicolor Halo
 Augur est procellarum.

Austriaci tamen cæli solem FRIDERICUM pulchrum
 Nostrates vapores non inficiunt.

Inter suas etiam maculas innocens irradiat
 Quia circumerrant, non inquinant.

Asbestinus niuea innocentia candor
 Purior est cum vritur.

Uniones quoque soboles innocentia
 Enitentibus fulminibus, ac tonitruis pariuntur.

Apodes sunt, cælorum semper inquilini,
 Qui terrenis vinculis non tenentur.

Ægyptium cælum in fronte rotant
 Innube semper, & serenum.

Reges animi basilica, nimirum regia herba instar,
 Cùm atteruntur, grandiunt sublimiores.

Rex lapidum purpuratum Coralium
 Illud tantum pretium contrahit, quod à cælo patitur.

Regem gemmarum adamantem elegerunt mortales,
 Non quia illustriorem, sed quia infractiorem.

Cum ad scopulos allidit spumantes undarum arietes,
 Ludit, non lædit Oceanus.

Nulla arcana ex arcu cælesti serenitas illustrius prodit,
 Quam quæ cælo prius tenebricosiore celatur.

Ignis fatuus est forma sine fortitudine,
 Quæ amantes, mendacio lucis deceptos, reddit amentes.

Constans in stellam accenditur,
 Aequè immortalem ignem, & innocentem.

Ita facundo silentio loquitur doctus lapis.

Si spectator huius memnonia statuae hæc non audis:

Tu ipse statuas.

SY-

SYNOPSIS GENEALOGICA
 A FRIDERICO III. PVLCHRO
 AD ALBERTVM II. HONORIFICVM.



FRIDERICVS III. Princeps magnanimus eius prolis felicitate caruit, quæ posset hæres esse augusti nominis, & solium tenere, vnde centum annos ab Austria exulauit vsque ad ALBERTVM II. Honorificum ALBERTI fratris Pronepotem. ALBERTI Cæsaris Maiores hoc ordine fastis austriacis inscripti sæculum integrum illustrarunt.

ALBERTVS II. Sapiens ALBERTI I. triumphatoris filius,
 FRIDERICI III. pulchri frater.

ALBERTVS III. Patriæ Pater

ALBERTVS IV. patiens, & *Mirabilia Mundi* dictus

ALBERTVS V. inter Principes Austriacos, inter Cæsares II. Imperator.

FRIDERICVS, & LEOPOLDVS, quos Fridericus Cæsar suscepit, vel ex Cunigunde filia Ludouici Cæsaris, vel vt alij verisimilius putant, ex Isabella filia Reinoldi Gheldria comitis in ipso oriente vitæ ad occasum statim properarunt, breuioris circuli Austriaca Sidera. Ex ISABELLA autem, siue ELISABETHA Iacobi Regis Aragonum filia habuit cognominem filiam ELISABETHAM desponsam Ioanni Regi Bohemia nuptijs regijs præmortuam, & ANNAM Polonia Regi, eoq; ante matrimonium decedente nuptam Ioanni Carinthia Comiti, ac demum tertijs supra secundas felicioribus nuptijs Cælesti Regi, monastice in Sanctæ Claræ a se extructo Cœnobio religiosissime professam.

ALBERTVS II. ALBERTI I. filiorum, & FRIDERICI III. Cæsaris fratrum natu minimus, magnis nominibus vsque ad ALBERTVM II. Cæsarem Austriam gentem nobilitauit, ex Cæsarico Viennensi, & Passauiensi Sacris, quibus initiatus erat, exsolutus, & Augustæ stirpis propagator. Eius liberi sex numerantur, ex IOANNA Vdalrici vltimi Ferretarum comitis filia, & Hærede augete Austriacum patrimonium ferretanis ditioribus, & Samgoniensis principatu fatali quadam ex Austriadum coniugijs felicitate, RVDOLPHVS IV. magnanimus, ALBERTVS III. Pater patriæ dictus Caroli IV. Cæsaris Socer, primus Tyrolensis, & Athesinae ditionis comes, LEOPOLDVS III. probus appellatus, & militiæ decus, vt maximum militiæ decus sciremus esse probitatem, FRIDERICVS IV. Splendidus cognomento, sed magis sanguine, MARGARITA nupta primum Meinhardo Bauaro, tum Ioanni Morauia Principi Caroli IV. Cæsaris fratri, & CATHARINA in S. Claræ Cœnobio sanctimonialis omnium virtutum radijs clarissima.

ALBERTVS III. cum ex ELISABETHA filia Caroli IV. Cæsaris nullam prolem suscepisset, ex Beatrice Burgrauij Norimbergensis filia vnicum sustulit sibi cognominem Albertum IV. Hic Archidux Austria, successorq; in alijs principatibus vxorem duxit IOANNAM Alberti Bauaria Ducis, & Hannonia, Hollandia, ac Zelandia Principis filiam, ex qua nati sunt, ALBERTVS V. inter Austriacos Principes, sed II. in Romani Imperij fastis, Romanorum Rex, & Cæsar, & MARGARITA vxor deinde Henrici diuitis Bauaria Ducis. Ira per magna nomina adolefcebat Austriaca Potentia ad Maximos FERDINANDOS, & PHILIPPOS.



